

1978

M

388  
(8)

H.d. 400.



01

Z. d. 400

AD

VIRVM PRAECLARISSIMVM AMPLISSIMVM  
ATQVE DOCTISSIMVM

**IO. CHRISTIANVM FRIDERICVM  
POPPIVM**

MVNVS RECTORIS IN ILL. GYMNAS. NORDHVS.

MORE INSTITVTOQVE MAIORVM

D<sup>XXIX</sup>MENS. IVN. A. R. S. C<sup>II</sup>I<sup>II</sup>CCLXXXIII.

ORATIONE RITVQVE SOLEMNI  
ADEVNTEM

**IO. CHRISTOPHORI GVNTHERSBERGII**

AA. M. ET PAST. HAINROD.

**(3) 885 EPISTOLA**

VETEREM DICTI ACT. X. 43. VINDICANS EXPLICATIONEM  
PETRVM APOSTOLVM

NON DOCTORES N. SED VATES V. T. INTELLECTOS  
VOLVISSE

---

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBÆERORVM.

AD

MURM LIBRACE ARRISIVIA MAMLTIESIWM

ATQVE DOCTERISIVIA

I. CHRISTIANVM ERIDERICAM  
POPPIVAM

MANSERIOTRISSINILLI CVMMAZ NORDHAZ

MORAE INSTITUTAOC MAIORVM

DXXXVIII. MDCCLXVII. V. B. 2. CICEDCZLXXVII.

COLATIONE MUSICA SOLLEMNI

I. CHRISTOTPHORI COHESPERGII

ATQVE DICTI ACT X. VNBICVND EXPLICATIOMN

Kapsel 78 M 388 (8)

ET CETERA

LETTVM ADSTOLVM

NEC DOCTORES U SED AVATES N T INTELLCTOS

VOLVASE

A

71PSIAE

EX QDCCINA IACCHANHERONIA

41118

V I R O

P R A E C L A R I S S I M O D O C T I S S I M O Q V E

I O . C H R I S T I A N O F R I D E R I C O  
P O P P I O

R E C T O R I G Y M N A S . N O R D H V S .

D I G N I S S I M O

F A V T O R I E T A F F I N I S V O M A G N O P E R E C O L E N D O

S . P . D .

I O . C H R I S T O P H O R V S G V N T H E R S B E R G

**N**ihil sane potuissest hoc nuntio mihi laetius afferri iucundiusque, TIBI iam antea multis in Gymnasium, cui praees, illustre, claro meritis et conspicuo, munus esse Rectoris amplissimum cunctis suffragis demandatum. Quippe quae TVA potissimum interstitit: honorem, dignitatem, valetudinem, animi tranquillitatem, omnemque adeo prosperitatem TVAM concernunt; ea omnia, pro singulari, quae inter nos intercedit, necessitudine, quasi iure quodam ad me pertinere puto. Internus iste mentis amicissimae laetissimaeque sensus animum meum ad scribendam hanc epistolam appulit, ut aliquod saltem amicitiae venerationisque in TE meae, typis expressum, extaret documentum. Nec fore TIBI, litterarum interpreti ac doctori, auctoritate publica constituto, ingratum, nec a studiorum

A 2

TVO.



TVORVM genere, ambitu, praestantia, nec a mea denique TEcum coniunctione reor alienum, si de dicto Petri Apostoli Act. X. 43. noua ratione nuper explicato<sup>a)</sup>, pauca TECUM, vt de argumento non inutili, colloquar. Digna est propositio, quae deinceps rationibus confirmetur, antiqua huius dicti interpretatio, praecipue temporibus nostris, vbi oppido verendum est, ne paullatim V. T. vaticiniorum de Christo veritas auctoritasque, diruto quasi fundamento, proscus infringatur<sup>b)</sup>. Rem totam postremo limato literarumque disciplinis subacto iudicio TWO submittam. In veterum etenim graecorum et latinorum scriptis recte interpretandis diu multumque versatus, bene dignoscere verum fallumque sensum diuturno iam vsu didicisti, qui est, in talibus rebus, ERNESTIO, Viro Summo, testante, iudex, laudator et corrector optimus<sup>c)</sup>.

Inscindendum omnino non est, tanta capere literarum sacrarum interpretandarum studium, accuratius institutum, vt probe nosli, AMICE DOCTISSIME! potissimum aetate nostra per Dei gratiam incrementa, vt anteriorum temporum labores, non plane contemnendos, multo accuratior recentiorum industria magno post se intervallo relinquere videatur. Contigit hoc saeculo nimurum ingenii nonnullis prope diuinis, exquisita linguarum rerumque cognitione, et vnu diuturno probe instructis, ad summum quasi fastigium huius artis exsurgere, et insigne lumen interdum accendere nobis, ac posteritati. At enim uero, vt sit in rebus humanis: facile, cum sola veritas esset elicienda, vel in defectu, vel in excessu, peccatur. Inscindendum non est, multos veterum S. S. interpretatum in erundo sensu genuino fuisse remissiores minusque accuratos, quod iam dudum b. STEMLERVS<sup>d)</sup> ad vnguem, vt aiunt, demonstrauit. Neque vero minus verum apertumque est, nonnullos recentiorum iusto longius procedere, repudiatis multis antiquis haud paullo melioribus interpretamentis, vt amplectantur noua, viliori non raro superstructa fundamento, vel adeo, quod

a) vid. celeberr. NIEMEYERVS in opere S. S. charakteristico P. V. p. 313. ed. Halae Saxonum 1782. in der Ausmerfung c) Act. X. 43. Wenn man nicht lieber προφῆται von den christlichen Lehrern in der Welt verstehen will.

b) Vide D. SEITLERI Beyträge zu

den gemeinnützigen Betrachtungen 2. St. 1783. p. 129. seqq.

c) in praefatione ad institutionem interpretis N. T.

d) in dissertatt. binis: de interpretationibus S. S. satis piis, sed minus accuratis. Lips, 1710CCXXXI.

quod multo perniciens est, verae puriorique doctrinae minus confitanea.

Propius ad rem accedam. Constat inter omnes, Cocceianos eorumque socios, praeconcepta inductis opinione, vaticinia de Christo in V. T. quaesita, nimirum cumulasse, et sane multis in locis sensum verborum haud eruuisse verum, sed intulisse falsum, et a vocum significazione, mente scriptoris, contextaque orationis serie nimis interdum alienum. Quod cum vitare nouorum perquam ingeniosa diligentia quorundam interpretum conetur, incident in aliud magisque noxiuum veritati vitium, adeo, ut omnia fere de Christo vaticinia, vel euerant funditus, vel confidentius negent e), (quod tamen nonnullis in locis N. T. expressis verbis assertur, Luc. XXIII. 27. Act. III. 18. 21. 24.) omnes de Christo vaticinatos suisse V. T. prophetas. Quasi vero doctores, a prophetarum temporibus multo longius remoti, melius summo doctore legitisque illius donis diuinioribus instrudi, S. S. intelligenter. Ex quo genere interpretationis nouae, vaticinitusque de Christo, scrutatore, minus fauens, ea michi esse videtur, quae Petrum Apostolum in sollempni coram Cornelio, centurione, eiusque amicis habita oratione *per prophetas, testimonium Christo perhibentes, non vates V, sed N. T. doctores intellexisse*, non obscure proficitur. Eruenda veritatis duelli cupiditate, ipsa principis Apostoli verba proferamus, ac veterem interpretationem, quantum quidem in viribus nostris est, vindicare rationibus que firmare luculentis annitamur. Ita Petrus sub finem orationis loquitur de Christo: Τέτοι πάντες οἱ προφῆται μαρτυρῶσιν, ὅτεστιν αἴματιν λαζεῖ διὰ τὴς ἐνόματος αὐτῶν πάντα τὸ πιστεύοντα σὺν αὐτῷ.

De prophetis igitur praecipua nobis est instituenda disputatio, num *veteres h. l. sive scripta, quorum complexum V. T. nomine insignire solemus, an doctores N. T. Petrus testes attulerit?* An Christo hi, vel illi, praeclarum hoc perhibuerint testimonium, unumquemque in illum credentium nancisci per eum peccatorum remissionem? Quod doctores N. T. fecisse et

A 3

adhuc

e) Quam caute hic versandum sit, ne longius a tramite veritatis aberremus, ERNESTIVS, immortalis vir nominis, in narrat critica: de interpretatione prophetiar. Messianar. in ecclesia Christiana, opusculis eius theologicis

inserta p. 527. seqq. dilucide satis ostendit inuleatque prudentiorum imprimis regulam: *Medio tutissimus ibis!* deinde, quae sit haec via media, paullo monstrat explicatus.

adhuc facere, tantopere manifestum iudiciumque est, ut nihil contra dici queat. Non imus etiam in scias, nomine πέτρων interdum ornari doctores N. T., praecipuis effusisque diuinis donis et eximiis libros sacros interpretandi facultate praeditos, sicut loca: Matth. X. 41. XXIII. 34. Act. XI. 27. XIII. 1. XV. 32. 1 Cor. XII. 28. 29. XIII. 29. 37. Eph. III. 5. III. 11. istum habere sensum facile libertissimeque concedimus. An vero Petrus hos illa in sollempni oratione tantummodo intellexerit, potioris id est quaestio? Primo quidem intuitu multum illa veritatis habere videtur explicatio, quae verba: πάντες οἱ πέτροι, de doctoribus N. T., religionem Christianam explicando docendoque per totum terrarum orbem propagantibus, interpretatur. Nam Apostolus verba faciebat coram hominibus, alienis a religione Judaica, penes quos parum auctoritatis veterum prophetarum Iudaicorum testimonium habuisse videtur. Praeterea, doctrinam N. T. omnium ab initio communem hanc praecipuamque fuisse docent, nullo modo dubitari potest, omnes, qui crederent in Iesum i. e. profiterentur eius religionem, emendarent mentem vitamque, ac fidem fiduciamque in Christum, pro nobis crucifixum et a mortuis resuscitatum, toto animo collocarent, ablatis sacro fonte peccatorum foribus, corum esse remissionem consecuturos. Act. II. 38. III. 19. At certe, verum aliquid esse potest, quod tamen non inest verbis f).


Quam utilissimam in interpretando regulam ad hunc locum Petrinum satis accommodare dici posse statuo, cum plura potioraque in promptu sint argumenta, quae in illa me confirmant sententia, Petrum h. l. potius ad V., quam ad N. T. doctores respexisse. Mirum enim id cuiquam videri vix poterit, Apostolum, natione Iudeum, illam veram Deoque placentem patrum suorum religionem penitus abrogare nullo modo conantem, sed potius cum illa veteri Iesu doctrinam, quae rerum promissarum ostenderet impletionem exitumque, Luc. XVIII. 31. Matth. XXVI. 54. mire accurateque consentire docentem ubiuis, saepius, tam in orationibus, quam epistolis, ad prophetatum veterum provocare testimonia. Nec id mirum, factum hoc coram hominibus, religionis Judaicæ non admundum peritis; addubitandum quippe non est, aliquam saltem veterum prophetarum notitiam ad gentes etiam profanas, inter Judæos degentes, peruenisse. Nam insignem

f) vid. b. ERNESTII *institutionem interpretis N. T. de sensu verborum* §. 18.  
p. 12. ed. Lips. CICIOCCCLXI.

insignem ob ardorem cognoscendi colendique Deum, ac indefessum honesti rectique studium, Petrum euocatum missi Cornelium dixere virum, egregio testimonio totius Judaicae gentis machatum. Act. X. 22. Accedit ad hoc, nonnullos Judaeorum, ad Christianam religionem conuerforum, aduenisse cum Petro, qui concioni, ad audiendum confluenti, certe non ut otiosi spectatores, sed cupidissimi veritatis auditores, interfuerunt.

Non desunt etiam diserta, quod in primis vrgendum est, antiquiorum prophetarum de Christo testimonia, nondum in dubitationem ab interpretibus rei linguarumque peritissimis adducta, nec indicia desunt, e quibus elucet planissime, Deum patribus Judaicae gentis, sibi amicis, nonnulla de Messia reuelasse, venturo ad salutem hominum restituendam. Quorum etiam per exigua fuerit ab initio de hoc humanae salutis restitutore cognitionis; tamen vix quisquam, nisi veteris historiae valde imperitus, hoc negare poterit, credentes tunc temporis promissionibus diuinis in illum, antiquitus exspectatum summo desiderio, Luc. X. 24. spem fiduciamque collocasse. Sic Simeon, vlnis Iesum recens, natum excipiens, dicitur προσδεχόμενος τὴν παράπλησιν τῆς Ἰσααῖ, i. e. exspectans Messiam promissum, in carne venturum Luc. II. 25., quo spes solatiumque maximum vere creditum Israëlitarum innitebatur. Idemque paullulum infra c. 38. diserte confirmat Anna, prophetissa, loquens de Iesu cum hominibus πάσοις προσδεχόμενοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ, i. e. cum omnibus Hierosolymis redemptionem, per Messiam impetrandam, exspectantibus. Nec Israëlitae, rebus sentientes, vt e dictis Simeonis parum obscure patet, vulgari de regno Messiae mundo tum opinioni adhaesisse videntur. Luc. II. 31. 32. 34. 35. Secus iudicantibus id incumbit demonstrare, veram omnino propheticę congruentem de Messia tunc temporis cognitionem tenuisse plane neminem, et ipsos homines, a spiritu sancto, qui spiritus veritatis est, actos, qualis fuit Simeon, Luc. II. 25. falsam multumque a vero aberrantem doctrinam arripiuisse. Habent quidem vaticinia plerumque aliquid obscuritatis, impletione rerum promissarum potissimum dissipanda. Sic in promulgandis suis de salute hominum per redemptorem, diuinitus destinatum, reparanda decretis ista sapientissima Deus vtebatur pro arbitratu suo ratione, quo res tanta tamque mirandum in modum omneim humanae rationis

g) vid. IO. FRANCISCI BUDDEI, mae commentatio: *de ecclesia apostolica*  
theologi quandam elegantissimae doctrinæ p. m. 56. seqq. ed. len. CICIOCCXXVIII.



tionis captum excedens non statim plenillima luce, sed utruque primum, deinde per multos variosque gradus ac figuris, sensum paullatimque patieret. Sol velut exoriens, pulsis paullatim crepusculis, radios suos in subiectas regionum illarum partes pedentim dimitit, quas lumine suo, fe  
vadique diffundente, collusfrat; ita pariter a primis inde temporibus in producenda propagandaque veritatis ad aeternam hominis salutem pertin-  
nentis cognitione diuina sapientia non per saltum, sed lento gradu, prout omnium temporum tesis, historia docet, processit. 2. Petr. I. 19.

Non admodum esse multa vaticiniorum de Christo *xριστῳ* et *κατά τὸν ἄγονον*, vt in scholis loqui solent, agentium, id adeo quidem temporibus nostris in propositulo est, vt nihil sere superstiti dubitationis. Per multa vero mystico sensu dicta scripturis sacris inesse, vix quisquam addubitauit inquam negauitque, nisi, qui veritatem recte interpretando facile reperiendam, re-  
spuere, vel totam oeconomiae V. T. naturam rationemque pernuertere, plane postposita religioni h. e. veritati debita reverentia, temere conaretur. Ad rem nostram confirmandam satis est, aliquot saltem adduxisse, quae dubitare nos nequaquam sinunt, spe salutis ac remissionis peccatorum per futurum Messiam consequendas, consolationis plenisima, non penitus Israelitas, promissionibus fretos diuinis, etiam in V. T. caruisse, prophetasque, paulo licet obscurius (pro nostra videlicet cogitandi loquendique ratione) illam interdum indicasse. Nam Abrahamo, patri ve et credenti-  
tum, facta erat illustris illa promissio: *Per semen tuum*, (quo nihil aliud, nisi verum Messiam intelligi, Pauli nos docet explicatio Gal. III. 16.) *omnes terrarum gentes benedicentur*. Gen. XXII. 18. <sup>h)</sup>). Quorum verum verborum sensum diligenter nobis indagantibus nihil est, quod dubitemus, quin h. l. non externa modo quaedam felicitas, in totum genus humanum conferenda, sed *gratia* potius *summum numinis ac salutis, peccatis amissa et per Messiam restituenda, nasciturum ex Abrahami posteris*, innatur. Quod euentus quoque postea confirmauit. Nec abest hic sensus a vera notione verbi ιητη, quo *quaecunque prosperitatis genera, per Messiam expeditanda*, et toti rei conuenienter interpretanda h. l. significari, peritoribus huius linguae perfacile quidem erit intellectu. Rem quoque Abrahamum non penitus ignorasse, sed vidisse quaedam vestigia et rudimenta rerum, tempo-  
ribus

h) coll. Gen. XII. 3. XVIII. 18. et Gen. XXVI. 4. XXVIII. 14. vbi repetita est Isaaco et Iacobo.

ribus Messiae perficiendarum, quin ipsum promissum reconciliatorem Deum inter hominesque, humana forma comprentem, Gen. XVIII. 1. 3. 27. quodammodo patet ex dicto seruatoris, disputans cum Judacis, sibi infensissimis, Io. VIII. 56. coll. Luc. XVII. 22. quo se cunque dubii vertant interpres i). Nonne plus vna vice hoc praeter alios omnes Esaias, prophetarum princeps, praedicavit? k) Redemptorem humani generis, cuius formam, cruciatum, gloriam et partos inde fructus ad imaginem quasi depinxit, c. LIII. 5. coll. 1 Petr. II. 24. affirmat, non *infirmitates* solum *aberrantium perditorumque hominum*, sive *peccata, tulisse*, sed etiam *esse nos eius vibice sanatos*, scilicet *peccatis*. Nam verbum ~~N~~<sup>b</sup> h. I. sensu metaphorio idem est, ac *remittere, condonare peccata*, quod Alexandrina versio per *languas* vertit, cui loca Matth. XIII. 15. vbi vox eadem aperie hoc adhibetur significatu, et Luc. III. 18. vbi Iesu ipse vaticinum Es. LXI. 1. de *operibus suis ad salutem hominum suscipiendis* explicat, lucis aliquid affordere videntur. Nec ad intelligendum hoc ita difficile, doctioribus prae-sertim, huic rei cogitandae cruentorum vsu sacrificiorum iam assuetis, fuisse arbitror, quia exinde cognoscere potuissent, ob cruentam Messiae mortem condonatum iri prauis hominibus, serio resipiscientibus, admissa peccata ex diuina promissione. Quanquam haud diffiteor, plurimos Judaeorum, saltem posteriori tempore, id ignorasse, deceptos vt pote fallissimis opinio-nibus et obcaecatos, adeoque paullatim, nullis amplius id prohibentibus immediate a Deo missis doctoribus, a veritate, quoad fidem rationemque vitae, Deo placente, longissime deflexisse.

Fidem, Messia potissimum eiusque merito innixam, veros etiam Dei cultores in V. T., variis interdum percuslos attonitosque calamitatibus ac periculis, erexit, eaque, tanquam divinitus reuelato remedio, perterritos conscientia peccatorum animos refectos fuisse, ac recreatos, certissime persuasos, per expiationem a promisso redemptore aliquando praestandam, cui toto animo confidendum, auerti dilique delictorum supplicia, Deumque sibi reddi propitium, passim diuina testantur oracula. Huc pertinet,

vt

i) Vid. S A M. S C H U C K F O R D I I  
Harmonie der Heil. und Profanscriben-  
ten in den Geschichten der Welt im  
zten Buche p. m. 191. seqq.

k) Es. XXXX. 2. XXXV. 22. LIII.

II. et eact. in primis 1 Petr. I. 10. 11.  
Ier. XXXI. 35. seqq. coll. Hebr. VIII 9.  
12. Rom. XI. 27. aliaque plura, quae  
fusus hic commemorare non est ne-  
cessarie.



ut unum adhuc afferam, vaticinium de Christo, lapide angulari, Ef. XXVIII.  
16. coll. 1 Petr. II. 6. cui, qui credit, non fuga fessinabit, vel confundetur, vel ut exprimit Alexandrina versio: οὐ μη κατασκύψῃ, i. e. nullo modo pudebit. Ad quod dictum aperte pronocat Paullus, Iudaicae religio-  
nis peritissimus, Rom. VIII. 33. X. 11. sicutque docet, iam in V. T. doc-  
trinam hanc extitisse: *Quiunque confidit in Meſſiam*, tanquam lapidem  
angulariem, *neutquam pudebit*, i. e. spe fiduciaque non frustrabatur. E  
quisbus, ut opinor euidem, satis patet, ab initio viguisse doctrinam hanc  
in ecclesia Dei vera, fidem in Deum fiduciampie in hunc promisum salu-  
tis humanae vindicem assertoremque inprinis collocandam, esse diuinatus  
illud institutum remedium, quo possit gratia summi numinis ac fatus, pec-  
catis amissa, recuperari, quod pluribus evincit Paullus Hebr. XI. Rom. III.  
Gal. III. Quis igitur audeat amplius ea de re dubitare, quam Paullus,  
omnibus aliis interpretibus multo potior intelligentiorque, quippe Iudaicae  
religioni velut innuritus, et ab optimo sui temporis doctore legum ac ri-  
tuuum bene diligenterque instructus, immo diuiniori mirum in modum ad-  
iutus subſilio, disertis verbis confirmat, *lega γεγινωσκει* h. e. scripta V. T.  
erudire posse hominem ad salutem fiducia in Iesum, palam declaratum  
felicitatis humanae restauratorem, ponenda, consequendam? 2 Tim. III. 15.

Multa praeterea de sacrificiis afferre possem, praesertim expiatoriis,  
quibus placari numen, peccatis iratum atque offenditum eorumque condo-  
natione simul impetrari, vulgo credebatur. At id tantum attigisse sufficiat,  
haec omnia, caeterosque huc pertinentes typos rei futurae, quasi digito,  
vel ab ipso feruatore, vel ab Apostolis monstratae, veluti sub umbra qua-  
dam, seu figurarum inuolucris, mundi totius expiationem cum Deo per  
Meſſiam fulciendiā auferendamque vel morte, vel effuso sanguine pec-  
cati poenam, sed obscurius paulo praesignificasse, quod Paullus in primis  
in epist. ad Hebreos uberioris explicando persequitur. Nam nulla fere pro-  
babilis Deoque digna posset afferri ratio, cur sapientissimus animalia maceti-  
ri brutorumque sanguinem ad se placandum colendumque profundi insisterit,  
nisi multo maius excellentiusque consilium, ad salutem hominum exse-  
quendum, isto externo cultu fuisse adambratum. Quarum ultimum re-  
rum finem non plane tamen fuisse peritioribus occultum atque abscondi-  
tum, vero proprius est, ac summa Dei in reuelandis ad salutem hominum  
necessariis veritatis sapientia, propensione cunctos, ad veri cognitio-  
nem sensim pedetinique perdendii voluntas, ybiuis in sacris litteris ob-  
via,

ūia, fecis indicare veta. Ex quibus omnibus satis intelligitur, si quis S. S. eundem posthabitum opinionibus praeiudicatis, attente satis legerit, eum accuratus interpretando facile cognitum, vates omnino V. T. nonnullos eadem paulo docuisse obscurius, quae postea doctores N. T. multo luculentius de remissione peccatorum per Christum consequenda, docuere. Cur autem illos veteres non adduceret testes orator diuinus grauiissimos isti docendi modo pridem assuetus?

Latet quidem aliqua, quod hanc inficiar, ambiguitas in voce περτῶν, quam de vatis V. T. plurimum, et interdum de doctoribus N. T. diuinis inspiratis et litterarum sacrarum interpretibus, in diuinis doctrinac Christianae monumentis usurpatam legimus; potissimum illa ex usu huius vocis tunc temporis maxime consueto, et ex Petri dicendi genere, luculentius dijudicanda. Plurimum utique valet ad genuinum vocis περτῶν h. l. significatum ex mente principis Apostoli, vel inueniendum, vel distinctius determinandum, si quo sensu vel in orationibus, vel in epistolis ipse, vel eius nomine Lucas, historiae conditor apostolicae, vocem hanc adhibuerit, diligenter perquiramus. Legendo, queso, percurrat lector, huius significationis anceps dubiusque, scripta et fragmenta sermonum Petri, posteritati relicta, nuspiam doctores N., sed potius V. T., et multo minus virtusque foederis doctores inspiratos, vel sacrorum librorum interpretes, uno simul eodemque loco, nomine περτῶν insignitos reperiet, nisi quis ex Iocelis dicto Act. II. 17. filios filiasque vaticinaturos eo referri velit. Nec nullus alias extat locis, ex quo certo coniicare licet, uspiam eo sensu principem Apostolorum vocem hanc usurpare. Nec illa paucam sane loca, quibus Lucas aliisque N. T. scriptores isto recentiori significatu doctores N. T. περτῶν dixerunt, illa nos urgent necessitate, ut ab illa antiquiori visitatoriique, praesertim Petro, vocis huius significatione illico ac temere recedamus. Nam ubique nititur hic Apostolorum antesignanus in orationibus, coram Iudaeis habitis, veterum prophetarum testimonio, quos omnia, quo Dei nutus atque confilium sapientissime captum, eo certius cognoscetur, de Iesu, vero Messia, praedixisse contendit, Act. III. 18. 24. IIII. 28. Pariter in epistolis saepius ad eorum vaticinia prouocat, ea que dilucidat interdum vberius. Usus etiam reliquorum Apostolorum ad Christianos ex Judaeis exterisque gentibus collectos scribentium id probat, quos testimonium veterum prophetarum ad rei veritatem, quam proponunt, eo grauius certusque confirmantur, passim adhibuisse constat.

B 2

Nec

Nec potuit sane Cornelio eiusque sociis in mentem ullo modo venire, di-  
ūnum praeconem per *περιηγητας* doctores in orbe Christianos, vix isto  
tum nomine, auditoribus suis certe incognito, multoque magis ordinis di-  
finitionisque doctorum Ignatis, vocari coepitos, intelligere, cum ipse  
primus omnium esset, qui admonitu ecclesi venerat, doctrinam de Iesu,  
nondum longe lateque propagaram, praedicatum nonnullis Gentibus pro-  
fanis intra Palæstinae fines habitantibus. Quae cum ita sint, vero prox-  
imum videtur, Petrum quoque coram hominibus, religionis Iudaicae non  
ita plane ignarus, cum res gestas servatoris, ubiuis iam rumore perlatas,  
Act. X. 37. enarrasset ordine, grauissimo prophetarum Iudiciorum tes-  
timonio demonstrasse, haec omnia non fortuito, sed supremi numinis  
facta consilio. „Quorum mire factorum, hucusque communicatorum, ait,  
„normet ipsi Apostoli testes oculati sumus, quibus ipse seruador ante glorio-  
sissimum in caelos abutim praecepit coram iniunxit, ut palam doceremus  
id, ac testaremur, se demum esse iudicem, a Deo constitulum, viuorum  
non minus, quam mortuorum. Cum quo nostro, pergit, mire consentit  
multo antiquus ob diuinamque, quam spirat, auctoritatem, ad fidem  
verbis conciliandam multum habens ponderis ac momenti, testimonium.  
Nam finem totius rei palmarium iam dudum doceruerunt et adhuc docent  
veterum plerique prophetarum nostrorum, magno consensu de Mellia  
praedicantibus: *H:* Omnes, qui credant in eum, pauci si per illum peccato-  
rum remissionem“.

Oritur adhuc aliqua difficultas a voce *παντες*, cui tollendae, quan-  
tum quidem in nobis situm est, omnem dabimus operam. In nullum, quod  
ingenue fateor, et a veritate alienillum esset, hoc tuto de omnibus, ac  
singulis, excepto nullo, V. T. prophetarum scriptis affirmare. Sicut a  
nonnullis hoc factum, confidentius pernegrare, manifestorum veritatem in  
dubium vocare, testimoniumque, quod apud Apostolos tantae temper fuit  
auctoritatis eam ob causam h. l. pertinacius repudiare, manifesta virque  
foret in interpretando, quicquid libet, statuendi licentia. Tenendum vero  
id est, omnibus sacrarum literarum interpretibus, ut in communis r. s. lo-  
quendi, sic etiam in sacris multa dici vniuerso, vel de genere, que sunt tan-  
vatificationum

*H:* Ita iam ERASMV M Roteroda-  
num locum hunc intellexisse et uberius  
paulo circumscripisse, paraphrasis eius  
24

N. T. opus, lectu dignissimum, docet,  
ed. Frobi Basl. CIOCLVI. p. 732.

tum de parte, vel de specie, vel regos si interpretanda, quae scita est eruditissimi ERNESTII, accuratissimi quandam interpretis, obseruatio<sup>m)</sup>. Exponendum ita v. c. censeo locum Luc. XXIII. 27, ubi Lucas refert, Iesum in vitam revocatum ac discipulis, Emmauntem proficiscientibus, *Mosis apparentem,* omniunque prophetarum de semet ipso dicta in tota scriptura sacra (breuiter quidem, ut credibile est), explicuisse. Nam potiora tantum doctorem summum expoisse vaticinia, nec eundo per omnia, sed plerorumque duntur adduxisse testimonia, probabilius mihi videtur, prohibeturque, tum res ipsa, tum temporis, tum itineris ratio breuitasque, quo minus aliter interpretetur. Nec aliter de loco, cuius vetustiore et promissionibus diuinis, a prophetis antiquitus annuntiatis, et visitationi diuinitus inspirati oratoris dicendi ratione, magis accommodatam interpretationem stabilire ac pro exiguo ingenii mei modulo subsidiorumque exquisitoris doctrinae paucitate vindicare iam institui, censeo iudicandum.

Ex hacdenus dictis cognoscere, FAVOR ET AFFINIS AESTIMATISSIME! veterem interpretationem dicti Petri, neque a mente consilioque oratoris, neque a veritate, neque ab vsu loquendi, Apostolo maxime conferto, illo modo abhorre. Non id mihi sumo, confidens in alterutram partem pronuntiare, quamvis unam tantum veram ac genuinam dici haberique posse explicationem, communis peritorum consensus constat. Iudicio TVO, litterarum insigauerit exculto studiis, permitto lubens, accuratus internoscere, vtra plus habeat facilitatis, veritatis, perspicuitatis. Haec iudicandi potestas non a subtili modo disputandi, vel in facris philosophandi ratione, sed ab accurate copiosaque linguarum scientia, diuturnaque scriptorum veterum recte interpretandorum usu quam maxime proficiuntur<sup>n)</sup>. Quae si linguarum subsidia non contemnantur, sed recte, vi decet, usurpentur, et in primis iuuenium animi his studiis imperiantur mature exerceanturque diligentissime, nullum plane dubium est, fore quoque in posterum interpretes, qui verum librorum sacerorum sensum plana, perspicua, facili at certa ratione indagare ac reperire intelligent.

## B 3

## Ex

m) Vid. eius institut. interpr. N. T. c. III. de reperiendo vsu loquendi N. T. §. 37. p. 52.

n) Vid. ERNESTII Viri quandam, laude mea maioris, prolusio: *de vanitate philosophantium in interpretatione librorum* f. Lips. CICIOCC.

Exoptatissima multis litterarum amatoribus spes affulget; cum TIBI,  
singulari excellentique harum scientia et vsu bene instructo, Rectoris in  
tam illustri Gymnasio demandata sit prouincia, fore, vt insignis in iue-  
num praefantissimorum, disciplinas TVAE traditorum, animis veterum  
linguarum amor studiumque, sicut olim, efflorescat. Sic sperandum est,  
patriae TVAE, cuius commodis docendo litteras inferni, florentissimae  
reipublicae Nordhusanae, nec in posteruni esse viros defuturos, qui plane  
sunt eximia rerum sacrarum, publicarum, imino litterarum ipsarum fulcrum  
decora et ornamenta. Largiatur TIBI supremus omnium rerum mode-  
rator ad tot tantosque labores in novo munere suscipiendo, indiesque  
exstanteos, vires, nunquam interruptam alacritatem animi corporisque  
feram vsque ad senectetum, ac successus et fructus industriae longe pro-  
speritimos! Hoc omnes certe, qui litteris Gymnasioque Nordhusano bene  
cupiunt, mecum in primis hodierno sollempni TVO grauissimi muneri  
aditu, veheenter exoptant. Caeterum, quae ad TE scripsi, TVI, ve-  
ritatis ac litterarum ductus amore, pro singulari, quae plane ingentiam  
animi TVI decet indolem humanitatemque, benignitate perlegas, aequi  
bonique consulas, et me meosque singulos, tam arcto TIBI propinquita-  
tis vinculo coniunctos, amicitiae favorique TVO semper habeas com-  
mendatissimos. Scrib. Hainrodae in comitatu Stolbergico-Roslano d.  
m. Iunii A. R. S. CIOIOCLXXXIIII.

m. Junii A. R. S. CICICLXXXIIII.







X 2313006

Kapitel 78 M 388  
(3)

K





AD

VIRVM PRAECLARISSIMVM AMPLISSIMVM

ATQVE DOCTISSIMVM

# IO. CHRISTIANVM FRIDERICVM POPPIVM

MVNVS RECTORIS IN ILL. GYMNAS. NORDHVS.

MORE INSTITVTOQVE MAIORVM

D~~XXIX~~ MENS. IVN. A. R. S. C~~CCCC~~ LXXXIII.

ORATIONE RITVQVE SOLLEMNI

A D E V N T E M

## IO. CHRISTOPHORI GVNTHERSBERGII

AA. M. ET PAST. HAINROD.

### EPISTOLA

VETEREM DICTI ACT. X. 43. VINDICANS EXPLICATIONEM

PETRVM APOSTOLVM

NON DOCTORES N. SED VATES V. T. INTELLECTOS  
VOLVISSE

---

LIPSIAE

EX OFFICINA IACOBÆERORVM.